

veniunt, circa transversalium fideicommissa et fideicommissa particularia versatur. (26. Inspectis certe prioribus Novellæ et Authenticæ verbis *si liberis portio legitima non sufficiat*, videtur Imperator de solis fideicommissis ascendentium, non vero de transversalium fideicommissis intellexisse, cum soli ascendentes dicantur habere liberos, et ita cum majori Doctorum numero sentit Rot. cor. Falconer. *de Fideicommissis*. decis. 43, numer. 3, et decis. 75, num. 20, decis. 22, num. 9. *de Dot.* et in *Miscell.* 89, num. 44, cor. Lancett. decis. 170, num. 9, decis. 664, num. 18, et decis. 1133, n. 12. (27. Dummodo tamen expresse a Testatore transversali non fuisset præscripta feminarum dotatio. Dec. 1186, n. 30. et 31. cor. Molines.)

(28. 29. Quod si totius dictæ Constitutionis contextus expressa ratio expendatur contrarium videtur sentiendum. Non enim Imperator a parentum officio erga fœminas descendentes, non ab eorundem pietate motus apparet ad omnino solvenda pro dotibus constituendis fideicommissorum vincula, sed quia « ea quæ communiter omnibus prosunt, his, quæ specialiter quibusdam utilia sunt, præponimus. » Sed si publica utilitas unice Imperatorem impulit ad hanc statuendam Legem contra ascendentium fideicommissa, nulla apparet rationis disparitas, ob quam eadem procedere non debeat in transversalium quoque fideicommissis. Favor enim publicus non Fideicommissentium, sed Fœminarum personas dotis constitutione indigentes respicit, ut nubere possint; quæ ratio cum in utroque fideicommissio locum habeat, videretur eadem pari jure procedere

DUBITATIO TEMERARIA.

Vide verb. JUDICIUM TEMERARIUM, a num. 2 ad 16.

DUBIUM.

Vide verb. CONSCIENTIA, a num. 23 ad 30.

DUELLUM.

SUMMARIUM.

ARTICULUS I. — *Duellum quoad ejus esse, divisionem, et prohibitionem.*

1. Duellum proprie dictum quid sit. — 2. Duellum debet esse cum effectu; nam duellantes ad solam apparentiam non incurrunt pœnas spirituales contra duellantes inflictas. — 3. Duellum est prohibitum, si fiat privata auctoritate; si autem fiat auctoritate publica ex justa causa, non est prohibitum. — 4. Duellum proprie dictum debet esse ex conducto; unde ex subita ira progredientes, et duellantes non incurrunt pœnas. — 5. Duellum proprie dictum debet esse initum *statuto loco, et tempore*. — 6. Duellum proprie dictum debet esse cum periculo occisionis, vel mutilationis, vel vulneris; unde certamen factum cum pugnis, vel quocumque alio instrumento sine periculo occisionis, vel mutilationis non subjacet pœnis. — 7. Duellum aliter dividitur a Theologis, et aliter a Legistis. Legistæ illud dividunt in decretorium, propugnatorium, et satisfactorium. — 8. Duellum Decretorium quid sit. — 9. Duellum Propugnatorium quid sit. — 10. Duellum Satisfactorium quid sit. — 11. Theologi dividunt duellum in sex species, scilicet in duellum Manifestativum veri-

debere dispositio, nullafacta Fideicommissentium distinctione, dummodo is, qui dotare tenetur fideicommissa possideat, eoque magis, quia Justinianus, nullo designato fideicommissorum genere, a fideicommissis dotium detractionem præscribit; et ubi eadem occurrit ratio, idem esse debeat juris effectus; et ita sensit Riminald. cons. 324, n. 12. (29. In tribunalibus tamen vicit sententia prior, quamvis posterior mihi magis ratione consona, et Imperatoris menti accommodata videatur.

(30. 31. Super particularibus fideicommissis dissentiunt pariter Doctores. (32. Alii quippe affirmant, alii negant ex ipsis posse detrahi dotes; sed Sacræ Rotæ tribunal mitiorem admisit opinionem, quod nempe etiam a particularibus fideicommissis possint constitui dotes, quando alia bona tum libera, tum ex fideicommissis universalibus provenientia sunt. Rot. cor. Falconer. tit. *de Fideicom.* decis. 1, num. 16, ea semper potissima ratione, quia favor dotis publicam respicit utilitatem, et quibuscumque privatis fideicommissis prævalere debet. Gratian. *discept. Forens.* cap. 331, num. 4, et seq. Rot. in recent. part. 6, decis. 312, per tot. cor. Molines dec. 724, num. 14, et dec. 157, n. 10.

(33. 34. Quæri etiam potest, an dotes ex feudis possint detrahi, et distinguendum est inter feudum mere hæreditarium, et feudum ex pacto, et providentia. Primo casu feudum habetur ad instar bona alodialia, et potest ex eo constitui dos. Secundo vero casu non licet nisi ex fructibus donec vivit dotans, Peregrin. *de Fideicom.* artic. 42, num. 63. Reliqua super his vide infra in verb. *Feudum*.

tatis, Ostentativum virium, Evitativum ignominie, Terminativum controversie, Evitativum Belli, et Defensivum honoris. — 12. Duellum manifestativum veritatis quid sit? Hoc duellum est illicitum, non enim potest indici, aut acceptari hoc duellum pro indaganda veritate, aut innocentia, vel justitia alicujus. — 13. Duellum ostentativum virium quid sit. Et hoc etiam duellum est illicitum, non enim licet duellare ad ostendam peritiam, et virtutem duellandi. — 14. Duellum evitativum ignominie quid sit? Et hoc etiam duellum est illicitum; non enim licet acceptare duellum ad evitandam notam timiditatis. — 15. Duellum terminativum controversie quid sit? Et hoc etiam est illicitum. — 16. Duellum evitativum belli quid sit? Hoc duellum est licitum. — 17. Duellum defensivum honoris quid sit? Hoc duellum est illicitum. — 18. Duellum dividitur ab omnibus in duellum solemne, et in duellum privatum. Duellum solemne quid sit. — 19. Duellum privatum quid sit. — 20. Duellum ulterius dividitur in illud, quod fit auctoritate publica, et in illud, quod fit auctoritate privata, utrumque patet ex terminis. — 21. Duellum tum solemne, tum privatum, seu simplex est prohibitum Jure Divino, et humano, tam Civili, quam Canonico. — 22. Alia Remissive.

ARTICULUS II. — *Duellum quoad ejus pœnas et personas eas incurrentes, et earum absolutionem.*

1. Affertur in primis per extensum pro regula et notitia satis necessaria ad hæc omnia, Constitutio Clementis VIII. — 2. Enumerantur pœnæ principales contra duellantes statutæ. — 3. Vulneratus si in ipso loco duelli, vel in alio quidem loco, sed tamen paulo post, eodem adhuc die, sicque sine vero sufficienti intervallo decedat, caret Ecclesiastica sepultura; quamvis pœnitens, et a censuris absolutus decedat. — 4. Si autem vulneratus in duello moriatur post notabile intervallum, v. g. post unam, vel alteram diem, non caret Ecclesiastica sepultura. — 5. Pœnas impositas contra duellantes incurrunt, Primo: Ipsimet pugnantes, sive sint principales, sive non, sive sit solemne, sive sit privatum, vel simplex, etiamsi non sequatur mors seu mutilatio; immo quamvis initum fuerit pactum de statim terminando, etc. — 6. Secundo, illas pœnas incurrunt Patrini, socii, ad duellum serio provocantes, acceptantes, etiamsi pugna ob aliquod impedimentum non fuerit secuta. — 7. Tertio, illas pœnas incurrunt duellantium adjuutores, sive auxilium, consilium, operam, vel favorem præstantes, equos, arma, commeatum, pecuniam, et alia subsidia scienter administrantes. — 8. Consulens duellum non incurrit excommunicationem, si fecit quod potuit, revocando consilium, licet nihil profecerit. — 9. Quarto, illas pœnas incurrunt spectatores ex industria, seu ex composito. — 10. Hinc pœnas illas non incurrunt, qui ex occulto, vel obiter transeundo respiciunt. — 11. Quinto,

ARTICULUS I.

Duellum quoad ejus esse, divisionem, et prohibitionem.

(1. Duellum proprie dictum, seu Monomachia est pugna inita inter duos, vel plures in pari numero, privata auctoritate, et ex conducto, statuto loco, et tempore, cum periculo occisionis, mutilationis, vel vulneris. Est in re communis. Ad majorem autem, et clariorem ejus intelligentiam explicantur singulæ principales particulæ: (2. Dicitur primo *Pugna inita*, ut intelligatur debere duellum esse cum effectu, nam duellantes ad solam apparentiam, ex quo antea convenierint sese non vulnerare, sed honoris gratia duellum simulare, non incurrunt pœnas spirituales contra duellantes inflictas, ut tradunt Caraffa *de Duell.* tract. 1, sect. 5, quæst. 6, num. 1. Raynold. lib. 5, c. 9, § 3 et 4, num. 3. Pignatell. tom. 9, consult. 88, num. 62. Gomezius de Amescua *de Potest. in seipsum* lib. 2, cap. 5, num. 24 et alii. (3. Dicitur secundo *privata auctoritate*, ad denotandum quod non sunt prohibita duella illa, quæ publica auctoritate inter hostes fiunt, inter quæ celebre est illud Davidis cum Goliath in lib. 1. Reg. c. 17. Sic etiam D. Wenceslaus Bohemæ dux, ut in ejus officio legitur, ad singulare certamen adversus duccem Curimensem eo fine accessit, ut suorum saluti prospiceret, ac proinde visi sunt Angeli arma ministrasse, et dixisse adversario: *Ne ferias.* (4. Dicitur tertio *ex conducto*, quia ad hoc, ut verificetur duellum proprie dictum, requiritur præcedens tractatus et deliberatio; si enim unus ex rixantibus alium ad dimicandum provocet ex calore iracundiæ, et statim pugnent, non erit verum duellum. Sic censuit Sac. Congr. Conc. in

illas pœnas incurrunt locorum Domini, Magistratus, Præsides, Locumtenentes, Duces militum, et Capitanei, qui duellum vel permittunt, vel non prohibent quantum possunt, vel commissum non puniunt. — 12. Civitates vero, Oppida, Terræ, Castra, in quibus commissum fuerit duellum, permittentibus, aut tolerantibus Dominis, Ecclesiastico subjiunguntur Interdicto. — 13. Sexto, illas pœnas incurrunt omnes scripta, et manifesta ad duellum præparatoria efficientes, nec non quascumque, etiam sine scripto, denunciations, declarationes, narrationes, etc., etiamsi neque pugna aliqua, nec certamen, aut effectus, nec accessus, aut actus, ad pugnam proximam, neque expressa, aut aperta provocatio subsequuta fuerit. — 14. Illas pœnas incurrunt etiam Christiani cum Turcis duellantes. — 15. Non incurrunt tamen tales pœnas ratum habentes duellum suo nomine factum. — 16. Exemplificantur varii casus, in quibus provocatus ad duellum non incurrit illas pœnas, *usque ad n. 19.* — 20. Absolutio ab excommunicatione incursa ob duellum ratione citat. Constit. Clementis VIII. non poterat impendi extra articulum mortis nisi a Romano Pontifice pro tempore existente. — 21. Hodie tamen talis absolutio potest impendi virtute suorum privilegiorum a Confessariis Regularibus extra Italiam, et in Urbe Romana, licet non intra Italiam, et extra Urbem. — 22. Alia de pœnis in duellantibus consulenda. — 23. Constitutio Benedicti XIV. — 24. De Duelli Origine. — 25. Idem de causa ejusdem. — 26. Quibus est vetitum legibus. — 27. Media quæ Bacon a Verulamia suadet ad impedienda Duella.

Segobien. 15 Oct. 1644, teste Pignatell. tom. 1, consultat. 317. (3. Dicitur quarto *statuto loco et tempore*, quia sine determinatione certi loci, et temporis non est proprie duellum, ut resolvit Sac. Congr. Conc. in *Nullius* 15 Octob. 1644, lib. 17 decretor., fol. 460. Et per hoc, quod non fuit determinatum certum tempus, et locus, Sac. Cong. Immunitatis in una Civitatis Castellane ponente Card. Vallemanno die 13. Febr. 1703, non habuit pro duello sequens Vigliettum disfidæ: « Sig. Alessandro siete un mentitore, etc., v' intimo però a battervi meco a corpo a corpo con la spada alla mano, onde dovrete cingerla, acciocchè dove c' incontriamo, possa sostenervi, e ratificarvi con quella, tutto quello che di proprio pugno vi scrivo. » (6. Dicitur quinto « *cum periculo occisionis, mutilationis, vel vulneris*, ut excludantur a ratione duelli contentiones, et exercitationes vulgo dictæ *di Scherma*, cum istæ fiant sine periculo mutilationis, vulneris, vel mortis, et etiam excludantur contentiones, quæ fiunt cum pugnis, vel capillorum evulsione; Murga disquisit. Canon. t. 2, disp. 11, dub. 1, n. 1. Pascucci. in annot. ad Pignatell. tom. 1, tit. *de Duellante finem* fol. 240 vers. *Excluditur etiam*, ubi excludit a ratione veri duelli omnes alias contentiones, seu pugnas quocumque alio instrumento fiant, dummodo ex illis non imminet periculum mortis, seu mutilationis, et Pignatell. tom. 9, cons. 88, n. 63.

(7. Duellum aliter dividitur a Theologis, et aliter a Legistis. Legistæ sequentes Joan. de Lignan. Tract. de Duell. cap. 2, n. 1, illud dividunt in Decretorium, Propugnatorium, et Satisfactorium. (8. Duellum Decretorium est illud, in quo duellantes hac lege arma movent, ut a pugna cessare non

debeant, quoad usque alter occidatur. (9. Duellum Propugnatorium est quando quis ad locum designatum accedit non animo adversarium occidendi, sed suum honorem conservandi. (10. Duellum satisfactorium est quando quis gravi affectus injuria satisfactionem in mortis poscit Tribunali, paratus tamen a provocatione desistere eo ipso, quod adversarius satisfactionem dare vult; ut ex Caramuel. in *Theologia fundament.* 19, quae de Honor. n. 412, pag. 11, refert Murga disquisit. can. tom. 2. dub. 1, n. 20.

(11. Theologi autem sequentes Cajetan. in 2-2, qu. 95, art. 8, vers. circa *Duella*, dividunt duellum in sex species juxta sex causas formales, ad quas singulare certamen ordinatur, scilicet in duellum Manifestativum veritatis; Ostentativum virium; Evitativum ignominiae; Terminativum controversiae; Evitativum belli, et Defensivum honoris, ut late prosequitur Caraffa de *Duell.* sect. 1, tr. 3, q. 1, n. 3 et seq. (12. Duellum manifestativum veritatis tunc verificatur, quando quis laesus in honore non habens testes, seu aliam justificationem propriae innocentiae, confidit quod victoria erit testis veritatis, et hoc duellum est illicitum, ut de communi testatur Sanchez, lib. 1, moral. c. 39, num. 3, arg. c. *Monomachiam* 22, caus. 2, q. 6. c. 1 et 2, de *Purgat. vulgar.* (13. Duellum ostentativum virium est quando quis ex solo motivo gloriae, seu valoris, ad ostendendam peritiam et fortitudinem duellandi, alium provocat ad duellum; et hoc duellum est illicitum, ut tenet communis arg. c. 1. de *Torneament.* ubi id expresse rejicitur, ibi: « Ad ostentationem virium suarum, et audaciae. » (14. Duellum evitativum ignominiae est, quando quis aliquo notatur defectu, a quo per duellum putat se purgari posse, et nisi duellum acceptet, pro vili et timida persona reputatur, et hoc duellum tamquam illicitum reprobatur ab Alexandro VII in propositione secunda ex damnatis, die 7 Septembris 1665, ibi: « Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat. » (15. Duellum terminativum controversiae est quando indicitur, vel acceptatur duellum ad terminandam, seu dirimendam litem, seu controversiam, quam aliquoquin sine tali duello non potest consequi justitia, aut cum suo, vel aliorum damno quis in lite succumbit. Et hoc etiam duellum est illicitum, quia non est aptum medium ad hunc finem, cum semper exponatur periculo justitiae causae, una cum periculo vitae, propriae, vel alterius. (16. Duellum evitativum belli est, quando Rex, vel Princeps justum bellum gerens, quia non habet sufficientes vires, ad resistendum hostibus, vel ad parcendum multitudini, committitur res duello inter duos, vel plures milites utriusque exercitus decidenda, ut quae pars vice-rit, causam obtineat; vel ipsimet Reges, et Principes ad duellum se provocant, ut suorum subditorum saluti prospiciant, et hoc duellum est licitum, ut clare patet de Divo Wenceslao Bohemiae Duce, cui, ut in ejus

officio legitur, ad singulare certamen adversus ducem Curimensem accedenti, ut suorum saluti prospiceret, in signum justitiae sui duelli visi sunt Angeli arma ministrasse, et dixisse adversario: *Ne ferias.* (17. Duellum defensivum honoris est, quando quis de aliquo defectu notatus, ad se defendendum duellum indicit, vel acceptat. Et hoc duellum est illicitum, quia alia via fieri potest honoris defensio, seu injuriae reparatio, videlicet legitima accusatione apud judicem, ad quem finem conceditur in jure actio injuriarum; Institut. de *Injur.* § *In summa* ibi: « In summa sciendum est, de omni injuria, eum qui passus est posse vel criminaliter agere, vel civiliter; » et tit. 30. de *Injuriis.*

(18. Duellum dividitur ab omnibus principaliter in duellum solemne, et in duellum privatum: Duellum solemne (quia forte solemnius conducit ad Tartara) est quod fit servata certa forma, et solemnitate circa designationem armorum, et circa tempus, et locum securitatis privilegio praeditum (quod *Campum francum* communiter appellant) adhibitis etiam testibus seu Patrinis, quos *Secundantes* vocant. (19. Duellum privatum est, quod fit quidem etiam ex condito statuto certo tempore, et loco, sed absque aliis solemnitatibus circa designationem armorum, et securitatem loci, et sine Patrinis. (20. Duellum dividitur ulterius in illud, quod fit auctoritate publica, et in illud, quod fit auctoritate privata, et utrumque patet ex terminis.

(21. Duellum tum solemne, tum privatum, seu simplex, est prohibitum jure Divino et humano, tam Civili quam Canonico, seu Ecclesiastico, sub poenis gravissimis. Jure Divino prohibetur in praeepto: *Non occides*, quo Divino praeepto non tantum prohibetur occisio, auctoritate privata, sed etiam periculum ejusdem, ut patet in aliis praeeptis. In duello autem uterque duellans ad minimum exponitur evidenti occisionis periculo, et de jure Divino est textus in Deuteronom. c. 6. et Luc. c. 4. ibi: *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Jure humano Civili prohibetur l. unic. Cod. de *Gladiatoribus*, et saepe alibi. Jure humano Canonico, seu Ecclesiastico prohibetur c. *Monomachiam* 12. caus. 2. q. 4. et tit. 14. de *Clericis pugnantibus in duello*, et tit. 35. de *Purgatione vulgar.* lib. 5. decret. et a Julio II. Constit. incip. *Regis pacifici*, a Leone X. Constit. incip. *Quam Deo, et hominibus*, a Clemente VII. Constit. incip. *Consuevit Romanus Pontifex*, a Julio III. Constit. incip. *Cum sint*, a Pio IV. Constit. incip. *Ea, quae a Praedecessoribus*, a Greg. XIII. Constit. incip. *Ad tollendam*, a Clemente VIII. Constit. incip. *Illius vices*, et a Cone Trid. sess. 25. c. 19. de *Reform.* praecisus his verbis: « Detestabilis duellorum usus, fabricante Diabolo introductus, ut cruenta corporum morte, animarum etiam perniciem lucretur, ex Christianorum orbe penitus exterminetur. Imperator, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites, et quocumque alio nomine Domini temporales, qui locum ad Monomachiam in

terris suis inter Christianos concesserint, eo ipso sint excommunicati, ac jurisdictione, et dominio Civitatis, Castri, aut loci in quo, vel apud quem duellum fieri permiserint, quod ab Ecclesia obtinent, privati intelligantur; et si Feudalia sint, directis Dominis statim acquirantur. Qui vero pugnam commiserint, et qui eorum Patrini vocantur, excommunicationis, ac omnium honorum suorum proscriptionis, ac perpetuae infamiae poenam incurrant, et ut homicidae juxta S. Canones puniri debeant. Et si in conflictu decesserint, perpetuo careant sepultura Ecclesiastica; illi autem, qui consilium in causam duelli tam jure, quam facto dederint, aut alia quacunque ratione ad id quemquam suaserint, nec non spectatores, excommunicationis, ac perpetuae maledictionis vinculo teneantur; non obstante quocumque privilegio, aut prava consuetudine, etiam immemorabili (1). »

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(22. Varia ex Scriptoribus ad duella pertinentia collegit Thurmannus in *duellis*, etsi dicendum quod res sine judicio quovis consarcinavit. De judiciis duellis olim usitatis egerunt, et quidem rectius, Mauritius de *duellis*, et Ephraim Gerard de *judiciis duellis*. Historiam vero duellorum, eamque plenissimam edidit Basnage in *tractatu*, cui titulus: *Dissertation historique sur les duels*, quae praemissa est tom. I. de *l'Histoire des Ordres militaires*.

ARTICULUS II.

Duellum quoad ejus poenas, et personas eas incurrentes, et earum absolutionem.

(1. Affertur in primis per extensum pro regula, et notitia satis necessaria ad haec omnia, Constitutio Clementis VIII, quae est ut sequitur.

CLEMENS PP. VIII,

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Illius vices licet immeriti gerentes, qui ut animas suorum Fidelium a peccato, et Dia-

(1) « Ad coercendam nimiam duellantium licentiam, Benedictus XIV novas stabilivit poenas sequenti articulo recensendas, atque quinque damnavit propositiones, quas passim tradunt, atque teneantur Probabilistae Theologi: ex quarum pro-
« descriptione manifestum fit: Primo, non licere viro
« militari offerre, vel acceptare duellum, ne tam-
« quam formidolosus, timidus, et abjectus officio
« militari privetur, quo se, suamque familiam sub-
« stentet: quia timore amissionis officii, quo sub-
« stentatur, licita non potest fieri actio, qua propriam
« et alienam vitam periculo exponit. Secundo, excu-
« sari non posse offerentes et acceptantes duellum,
« etsi certo sciant pugnam non sequuturam; quia
« actionem provocant vel actionem probant, quae
« jure naturae, divino, et ecclesiastico, atque civili
« prohibita est, et quae sine scandalo esse, vel palam
« probari non possit. Tertio, excusari non posse
« a censuris offerentes, vel acceptantes duellum
« gravi metu amittendae famae, vel officii compulsi.
« Ideo enim has Ecclesia constituit poenas, ut harum
« timore militares homines a detestabili hujusmodi

boli laqueis liberaret, de Caelo descendens, humana carne assumpta, nec proprio quidem suo pretiosissimo Sanguini pepercit, sed se ipsum in ara Crucis immaculatam hostiam aeterno Patri offerre voluit, in hanc praecipuam curam summo studio incumbimus, ut easdem animas inestimabili pretio redemptas adversus Satanæ fraudes, quantum in nobis est, illasas praeservemus, praesertim vero totis viribus Nobis a Domino traditis exterminemus exitialia quaedam, atque enormia peccata, quibus Divina Majestas gravius offenditur, quaeque, eodem fabricante humani generis hoste, inventa, atque introducta sunt, ut ex cruenta corporum morte, animarum etiam simul interitus, ac perniciēs sequatur.

§ 1. Recte siquidem, et salubriter fel. record. Pius Papa IV, Praedecessor noster, post alios complures suos, nostrosque Praedecessores, qui detestatum Divina, naturalique lege, ac sacris Canonibus damnatum Duellorum abusum, suis etiam Constitutionibus severe prohibuerant, gravesque poenas contra quoscumque temporali ditioni S. R. E. mediate, vel immediate subjectos ejus criminis quomodolibet reos, vel participes inflixerant, cupiens non solum in terris praedictis, sed alias ubilibet animarum periculis obviare, Principes, ac Domnicellos permit- tentes in suis Dominiis id patrari, ac etiam extra Terras, et Loca ditioni Ecclesiasticae subjecta, hujusmodi Duella, seu singularia certamina, diffidationes desuper facientes, ac ad id invitantes, provocantes, auxilium, consilium, vel favorem dantes, illisque astantes, et interessentes, nec non chartas desuper subscribentes, aut publicantes, seu de illis se intromittentes, singulos Imperatore ac Regibus inferiores majoris excommunicationis, ac (si Ecclesiastici fuerint) ultra eam, etiam privationis omnium Dignitatum, Beneficiorum, et Officiorum Ecclesiasticorum, inhabilitatisque ad illa, et alia in posterum obtinenda, poenis subjacere, easque incurere voluit, a quibus non nisi a Romano Pontifice absolvi possint.

§ 2. Sed et postmodum generalis Triden-

« abusu compesceret. Quarto, ne quidem in statu na-
« turali, uti scilicet tribunalia, et judicia desint pro
« honoris, honorumque defensione, acceptari, vel
« offerri duella posse: nunquam enim licet propriam
« et alienam vitam, cujus Deus Dominus est, certo
« periculo exponere, et animam aeternae damnationi
« subicere. Quinto denique, nec itidem licere praer-
« textu male ordinatae civitatis, ac denegatae justitiae;
« tum ob allatas rationes, tum etiam ex eo, quod
« hac via aditus fieret ad plura incommoda, quae
« in civili societate inde nascerentur; ut conside-
« ranti facile patet. » Inde subiciebantur proposi-
« tiones a Benedicto XIV proscriptae, quas non omit-
« timus, cum art. prox. n. 22. integra ejus Pontificis
« Constitutio contra detestabilem duellorum abusum
« referatur, eademque ratione art. proximo praetermit-
« tendam duximus not. in eadem Edit. n. 2. subjectam,
« in qua poenae in laudata Constitutione contra Duell-
« lantes latae recensebantur. (Nota edit. Rom. 1758.)
« Vide Animadversiones Auctoris in calce articuli II
« ad hanc Rom. Theologi Notam.

lina Synodus, ad exterminandum penitus ex Christiano Orbe hoc malum, statuit, ut Imperator, Reges, Principes, Marchiones, Comites, et quocumque alio nomine Domini temporales, qui locum ad Monomachiam in terris suis inter Christianos concesserint, eo ipso sint excommunicati, ac jurisdictione et dominio Civitatis, Castri, aut loci in quo, vel apud quem Duellum fieri permiserint, quod ab Ecclesia obtinent, privati intelligantur, et si Feudalia sint, directis Dominis statim acquirantur. Qui vero pugnam commiserint, et qui eorum Patrini vocantur, excommunicationis, omnium honorum suorum proscriptionis, et perpetuæ infamiae poenam incurrant, et ut homicidæ, juxta Sac. Canones puniri debeant. Et si in ipso conflictu decesserint, perpetuo careant Ecclesiastica sepultura. Illi etiam, qui consilium in causa duelli tam jure quam facto dederint, aut alia quacumque ratione ad id quemquam suaserint, nec non spectatores, excommunicationis, et perpetuæ maledictionis vinculo teneantur.

§ 3. Quas poenas novissime piæ mem. Gregorius Papa XIII, pariter Prædecessor noster extendit adversus illos etiam omnes, qui non publice, sed privatim ex conducto, statuto tempore, et in loco convento, Monomachiam commisissent, etiam patris, sociisque non vocatis, et loci securitate non habita, et provocatoriis litteris minime præcedentibus, etiam contra locorum Dominos, si id (quantum in se fuerit) non prohibuissent, cæterosque supradictos criminis socios et ex composito spectatores etiam pugnam ob aliquod impedimentum non commisissent, si ad locum accessissent pugnaturi, et per eos non stetisset, quominus pugnarent.

§ 4. Verum quia cum magna animi nostri molestia intelleximus adhuc in quibusdam, præsertim transalpinis, ac remotis regionibus, et potissimum ubi bella vigent, castrensi quadam et militari licentia, seu verius audacia, perniciosum hoc scelus inter Fideles exerceri, quasi fas sit in solo hostili, ubi Christiani nominis, seu Catholicæ Fidei hostes tyrannidem exercent, seu hæreses, et schismata impune grassantur, sive inter signa et castra militaria in caput suorum fratrum impios convertere mucrones, quod multo salubrius contra Christiani nominis adversarios stringi par esset; Nos nefaria Diaboli arma salutari Ecclesiæ gladio ad continendos in officio fideles nobis præcipue ipsius Domini auctoritate traditos retundere, atque a cervicibus gregis Domini nostræ curæ crediti, quantum (eodem Deo adiutore) eniti possumus, propulsare cupientes, prædictas omnes Constitutiones, ac decretum Concilii Tridentini cum omnibus et singulis in eis contentis Censuris, et poenis decretis, ac extensionibus, quarum, et quorum omnium tenores præsentibus haberi volumus pro expressis, et ad verbum insertis, auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuo approbamus, et confirmamus et innovamus.

§ 5. Ac insuper auctoritate, et tenore præmissis decernimus, et declaramus easdem Constitutiones, ac decretum, locum habere ubique gentium, et terrarum, inter quascumque personas, etiam armatas, et in castris, seu propugnaculis militantes, etiam ubi nostrorum, et S. R. E. aut Catholicæ Fidei hostium furor impune grassatur, in dominiis per eos occupatis, et detentis. Idem quoque juris censendum esse, si publico, et forsitan justo bello indicto, miles aliquis alterum in adversariorum exercitu militantem, sive alias hostium castris, præsiidiis, aut terris degentem privatas simultates, atque inimicitias publicæ causæ intermiscendo, etiam Ducum permisso, ex conducto, ad singulare certamen descendat (uscendere faciat), aut illum provocet. Nec non iisdem poenis, decreto, et Constitutionibus teneri eos, inter quos pactiones initæ sint de dirimendo certamine, cum primum alteruter vulneratus fuerit, seu sanguinem fuderit, aut certus ictuum numerus utriusque illatus fuerit. Vel si convenerint, ut non singuli, sed bini, terni, aut plures hinc inde pugnent. Et non solum locorum Dominos, sed etiam Magistratus, Præsides, Locumtenentes, aut etiam militum Duces, et Capitaneos in castris, vel extra ea, in alieno, vel hostili solo, vel cum militibus exercitus adversariorum Monomachiam, in quocumque casu per præsentem, vel alias Constitutiones hujusmodi prohibito, permittentem, vel quantum in ipsis est non prohibentes, aut post commissum crimen, veniam, et impunitatem concedentes.

§ 6. Præterea pari ratione prohibemus omnia, et singula ejus generis scripta, manifesta, seu *sfide* vulgo appellata, quæ etiam sine expressa provocatione ad certamen, tamen quasi preparatoria quædam ad chartulas, seu libellos provocatorios, et ad Duellum illorumque veluti radices, aut semina, ut plurimum, lacessendi aliquem ad pugnam, et suscitandæ simultatis, atque inimicitiae materiam, et occasionem præbent. Dum scilicet in illis per modum Epistolæ, libelli, et publicæ attestationis, et intimationis, sive per authentica documenta, sive per unius, pluriumve chirographorum subscriptiones, aut relationes, sub prætextu proprii vel alieni honoris, et famæ, more militari, atque ut vulgo dicitur *Cavalleresco*, tuendi, aut lædendi, sive ad illatæ, propulsatæve contumeliæ, aut injuriæ probationem, seu tollendam ipsius suspicionem rei alicujus gestæ, ad id pertinentes, vel verborum, aut responsionum series, et ordo narratur, vel ex simili abusu hac de causa aliquid tale adeo firmiter asseritur, aut negatur, ut qui contradixerit, is sive nominatim, sive in genere mendacii arguatur, aut mentiri dicatur. Aut ad hunc effectum ex militari etiam consuetudine quæritur, declaratur, aut respondetur, qua mente, aut quo sensu quippiam ejusmodi, quoad superius expressa spectet, gestum dictumque sit. Vel denique offert se quidam contra certam, vel incertam personam, vel generatim contra quemcumque ad probandum armis, et verificandum

etiam inito certamine, aliquid ita esse, aut fuisse, vel non fuisse. Nec non quascumque etiam sine scripto factas talium rerum supradicta quoquomodo concernentium, et ob hujusmodi causas in locis publicis, vel privatis, ubi hominum multitudo convenire soleat, denunciations, narrationes, declarationes, et testificationes. Volentes eos omnes, et singulos, qui suo, vel alieno nomine ad effectum, de quo superius dictum est, prædicta, vel his similia, multoque magis ad certandum provocatoria scripta, libellos, epistolas, eorumque exempla dictaverint, composuerint, scripserint, miserint, detulerint, divulgaverint, affixerint, exemplaverint, typis impresserint, subscripserint, attestati fuerint; quive aliis ad singulare certamen publice, vel occulte ineundum, vel ad provocandum aliquem ad pugnam, sive ad hujus generis scripta, quæ manifesta, quæque chartulæ provocatoriæ appellantur, scribenda, dictanda, mittenda, deferenda, divulganda, auxilium, consilium, operam, vel favorem præstiterint, sive id suaserint, aut mandaverint, quique in præmissis, vel eorum aliquo se quomodolibet immiscuerint; etiamsi neque pugna aliqua, vel certamen, aut effectus, non accessus, aut actus ad pugnam proximus, neque expressa, et aperta provocatio subsequuta fuerit, neque scriptiones prædictæ, quæ manifesta dicuntur, in publicum prodierint, aut cuidam intimatæ extiterint, si per eos non steterit, quominus publicatio, aut denunciatio fieret; nihilominus censuris, et poenis omnibus in præsentem, et aliis prædictis Constitutionibus, et decreto contentis subjacere, tam si superius enumeratis, quam si aliis etiam majoribus Ecclesiasticis, vel mundanis dignitatibus, gradibus, et præminentis excellent.

§ 7. Quinimmo de novo etiam per præsentem ex parte Omnipotentis Dei Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, excommunicamus, et anathematizamus, maledicimus, et excramur omnes, et quoscumque publice, vel privatim, palam, vel occulte, in quibuscumque locis, modis, et formis, ac casibus sub præsentem nostram, et aliis prædictis Constitutionibus, ac decreto comprehensis, singulare certamen (quod Duellum vulgo dicitur) ex composito ineuntis, nec non in scelus suadentes, aut provocantes, opem, consilium, vel favorem præstantes, equos, arma, comitatus, præbentes, aut comitantes, vel circa chartulas, seu libellos, litteras, nuncios, aut quæcumque alia scripta hujusmodi quomodolibet peccantes, hujusque delicti socios de industria, spectatores, Patrinos, fautores, defensores, quacumque tam superius expressa, quam alia Ecclesiastica, vel mundana præfulgeant dignitate, ita ut singulares etiam personæ ejuslibet Communitatis, Universitatis, Collegii, aut Reipublicæ, quæ hujus criminis participes quoquomodo fuerint, nequaquam excusentur, sed supradictos omnes, eorumque singulos ipso facto absque ulla monitione, Judicis decreto, aut ministerio, perpetui anathe-

matem, excommunicationis majoris, maledictionis æternæ mucrone percussos, et damnatos harum serie declaramus, et si in ipso conflictu obierint sepultura Ecclesiastica perpetuo privatos esse volumus: Ipsas vero Civitates, Terras, Oppida, vel Castra, et loca, in quorum Territoriis id facinus scientibus, et tacite, vel expresse permittentibus, aut tolerantibus Dominis, aut Magistratibus, vel Senatu, aut Populo, admissum fuerit, Ecclesiastico supponimus Interdicto, cujus Interdicti relaxationem, aut Excommunicationis absolutionem, ab alio quam a Nobis, et pro tempore existente Romano Pontifice, poenitentia, et satisfactione congrue peracta, in mortis articulo constituti, nequeant obtinere, etiam prætextu quarumcumque facultatum, et indultorum quibusvis personis tam Ecclesiasticis cujuscumque Ordinis, aut militiæ, status, gradus, aut conditionis existentibus, quam Laicis etiam Imperiali, Regali, vel alia mundana præeminentia insignitis, per Sedem Apostolicam in genere, vel in specie concessorum. Quæ omnia quoad præmissa nolumus cuiquam in aliquo suffragari. Poenis aliis tam spiritualibus, quam temporalibus contra eos inflictis, nihilominus in suo robore permansuris.

§ 8. Universos autem, et singulos charissimos in Christo Filios nostros Imperatorem, Reges, et dilectos Filios nobiles Duces Viros, etiam armorum, et exercituum, Marchiones, cæterosque Principes Christianos nec non Dominia, Potentatus, Communitates, et Universitates Civitatum, Oppidorum, et Castrorum, illorumque Domnicellos, et Dominos temporales, ac etiam militum, et copiarum tam equestrium, quam pedestrium Ductores, Tribunos, Præfectos, Capitaneos in quibuscumque etiam Nobis, et Romanæ Ecclesiæ, temporali jurisdictioni non subjectis locis constitutos, cujuscumque gradus, præeminentis, et nobilitatis existentes, hortamur, rogamus, et obtestamur per viscera Domini Nostri Jesu Christi, ut ejus Divini Nominis intuitu pro sua erga eundem Deum, per quem regnant Reges, et a quo Principatus acceperunt, pietate, atque erga Nos, et S. hanc Sedem reverentia, et devotione, non modo nihil tale in suis Dominiis fieri permittant, nec ullo modo conniveant, sed hoc malum omni studio, diligentia, et auctoritate exterminare totis viribus procurent, contra quoscumque delinquentes, et ut præfertur quomodolibet complices, et participes etiam temporalibus poenis gravissimis animadvertant, et per suos Officiales, et Curie Ministros procedi curent, se obsequium Deo pergratum, perque acceptum præstituros, si quo gladio ad tutelam honorum, et ad propulsandos perditorum conatus sunt accincti, eundem ad vindictam hujus peccati, et ad sumendas de hujusmodi criminis reis debitas poenas exercuerint, contra vero memores, si in re tam gravi male se gesserint, se in districto Dei judicio rationem in novissimo die reddituros.

§ 9. Volumus autem, ut præsentium transcriptis etiam impressis, Notarii publici